

fragiis liquet, nos, eam vocis interpretationem amplexos, nihil fecisse, præterquam quod supra in *Postulato* æquissimum esse docueramus.

## Scholium II.

Dici autem vix potest, quantis se difficultatibus immerferint, qui in textu Petrino vulgaria Peripateticorum elementa, aërem, aquam & terram quæsiiverunt. Insigni compendio *B. Seb. Schmidt* in Colleg. Bibl. poster. p. m. 398. labores eorum exhibuit, commemorans, aliquos *terram* hic eximere, quippe quæ cum operibus suis ab elementis distinguatur; alios *mare* etiam, quod ignem potius extinguat, quam ab eo consumatur; Sed & *aquam* absolute quosdam excipere; nonnullos etiam superiorem *aëris* partem; ignem autem multo magis, qui se ipsum non comburat. Quo pacto nihil reliquum est de quatuor elementis, quam inferior *aëris* pars, quæ tamen unacum superiore in Scripturis sub cælorum nomine comprehendi solet. Itaque si hæc opiniones jungantur, frustra dixit Apostolus, *elementa*, quæ nulla supersunt, *combustum ac dissolutum iri*. Ipse quidem *Schmidtus*, cum observasset *σοιχῆα communiter ab omnibus interpretibus accipi in Philosophica significatione pro illis creaturis simplicibus, quæ compositarum seu mixtarum sint principia*, discessionem solus facere noluit, sed statuit præter terram, quæ distincte mox ponatur, duo ad minimum, aërem & aquam elementorum nomine ab Apostolo indicari: verumtamen veritate victus statim hæc notatu digna subjunxit verba: *Equidem miror fere, qui S. Apostolus terminum philosophicum in significatione philosophica usurpaverit: neque enim hic Scripturæ mos esse solet, licet frequentissime de rebus creatis loquatur: ideo nisi tantum interpretum consensum venerarer, alia præcipua supra terram corpora intelligere mallet, quæ reliquorum cause simul sunt*. Nobis certe veneranda videtur interpretum auctoritas, sed magis veneranda veritas, eoque minus dubitavimus a vulgari sententia recedere, quo plura ei & graviora obstare cernebamus. Namque 1.) nomen *σοιχῆα* contra legem inter-

B

pretan-